

tiva sit reipsa omnino falsa, « et merito ob rationes a n. 587, allegatas, jam non licet hanc minus probabilem, aut omnino falsam sequi, quantumvis classicos habeat pro se doctores; eo quod recentissime ab Innocentio XI, sit sententia damnata, dicere, quod liceat sententiam minus probabilem relicta probabiliori, quando est de valore sacramenti, uti quæstione nostra.

606. *Requiritur etiam notitia nullitatis, et novus utriusque consensus, si ex solo defectu consensus unius nullum fuit matrimonium.* — Quæritur III. Num etiam ad revalidationem matrimonii requiratur novus utriusque conjugis consensus et nullitatis cognitio ex parte utriusque, casu quo ex solo defectu consensus unius irritum fuit matrimonium? Resp. I. Si ex defectu consensus ob errorum ipsius personæ matrimonium fuit nullum; ut dum putans esse Titiam, vel liberam, contraxerit cum Caia, vel serva, certum est, quod requiratur notitia nullitatis et erroris, novusque consensus. Sanchez, lib. II, disp. 36, n. 1, eoque teste omnes textu juris satis claro, c. II, et fin. *de Conjug. servor.*

607. Resp. II. Quamvis plurimi, inter quos etiam est Sanchez, lib. II, disp. 32, n. 9; Navar., in *Man.*, cap. xxii, n. 51 et n. 80; Layman, V, tract. X p. 2, cap. vi, n. 1, veint, q. si matrimonium fuit invalidum ex solo defectu consensus unius v. g., vel ficte, vel ex timore injuste incusso consentientis, sufficiat, si sola pars, quæ prius vel nullum, vel non sufficientem consensum habuit, eum de facto præbeat: nec sit necesse, ut compars de novo consensum præstet, multo minus ut de nullitate matrimonii prioris certioretur; tamen contrarium nobis non tantum tutius, sed et probabilius, consequenter in praxi omnino sequendum videtur cum Ledesma, *de Matrim.*, dub. 49; Felin, in c. *Ex parte de Rescript.*, n. 11; Comitolo, lib. I, *Respons. Moral.* q. 120; Pontio, lib. IV, cap. xxv, n. 2, et aliis. Probat. Tum quia rationes, ob quas requiritur, ut nullitatis ignarus de ea certioretur, et de novo consentiat, casu, quo ob latens impedimentum matrimonium fuit nullum, revera etiam militant in casu, quo ob defectum consensus fuit nullum. Tum quia etiam in tali casu verum est, quod consensus ex parte ignorantis fuerit invalidus ad matrimonium, et proinde idem, ac si omnino fuisset nullus per jura n. 596, allegata, consequenter nullatenus perseverans per dicta n. 591, ac per

consequens novus necessarius erit; tum quia defectus consensus etiam ex parte unius jure divino et naturali dirimit matrimonium; ergo ad illud revalidandum non minus requiritur notitia prioris nullitatis, novusque consensus, quam si fuit nullum impedimentum jure duntaxat ecclesiastico dirimens.

608. *Solvitur objectio.* — Nec obstat, quod pro præcipuo fundamento defendendæ doctrinæ contrariæ allegat Bosco, videlicet, personas ex solo defectu consensus invalide conjunctas, fuisse tempore contractus matrimonialis de se habiles ad contrahendum, consequenter verum consensum ab uno datum, fuisse omnino validum, indeque donec revocetur, semper perseverantem, ac per consequens, si cum tempore etiam altera pars vere consentit, sufficientem pro valore matrimonii absque hoc, quod prius consentienti nullitas intimetur, vel ejus novus consensus de novo præstetur. Nam contra est; quod, licet absente impedimento verus consensus unius sufficiat, et valeat pro matrimonio, si alterius consensus tempore debito accedit, tamen falsum sit, si solus sine alterius consensu habetur, utpote ad contrahendum matrimonium æque invalidus, ac alius sincere, sed stante aliquo impedimento datus; nec minus inhabilis ad contrahendum est persona, quæ nullum dat consensum, quam quæ alio laborat impedimento.

609. *Confirmatur ex responso Clementis VIII.* — Confirmatur rescripto Clementis VIII, Papæ: dum enim Comitulus specialiter consuluit dictum pontificem super controversia ista, respondit Papa, « esse necessarium novum consensum utriusque, admonito prius marito de matrimonii nullitate. »

610. *Si impedimentum evadit publicum, debet de novo contrahi in præsentia parochi, et testium.* — Quæritur IV. An ad revalidandum matrimonium invalide contractum, denuo requiratur præsentia parochi et testium? Ante responsum notandum, quæstionem solum procedere de casu, quo impedimentum, ob quod matrimonium invalide fuit contractum, est, et manet occultum: quia, si matrimonio invalide contracto impedimentum evadit publicum, ita ut probari valeat, certum est apud omnes, ad revalidationem adhiberi debere novam præsentiam parochi et testium, hoc ipso enim: quod palam, et in foro externo sciatur, prius ma-

trimonium publice contractum fuisse nullum, de novo publice contrahi debet, ad evitanda tam conjugum, quam populi scandala claro argumento *concil. Trident.*, sess. 24, *de Reform. Matrim.*, cap. I, H. N.

611. *Secus, si est occultum.* — Resp. Ad revalidandum matrimonium prius in tacite Ecclesiæ publicæ, sed ob impedimentum occultum invalide contractum, nullatenus requiritur nova præsentia parochi et testium, sed sufficit, si ambo conjuges habita prius nullitatis cognitione vel formali juxta dicta a num. 596, vel saltem æquivalenti juxta dicta num. 597, ambo ad contrahendum matrimonium inter se solos secreto consentiant. Sanchez, lib. II, disp. 37, num. 3; Bosco, *de Impedim. Matrimonii*, disp. 12, sect. 14, conclus. 3, rem more suo egregie et exacte deducens; Navar., in *Summa*, cap. xxii, n. 70; et *de Sponsalib.*, lib. IV, consil., tit. *de Sponsalib.* consil. 14; Perez, *de Matrim.*, disp. 39, sect. 4; Castro Palao, Layman, Herinx, disp. 5, q. 3, num. 30; Sporer, *de Matrim.*, cap. II, sect. 3, num. 465; Gobath, in *Quinor.*, cap. xxxvii, num. 137. Bonacina, Diana, et de facto jam communiter aliorum contra Pontium, lib. V, cap. vi, Comitolum et alios. Ratio conclusionis nostræ principalis est; quod concilium Tridentinum, dum sess. 24, *de Reform. Matrim.*, cap. 1, annullat omnia matrimonia sine præsentia parochi et testium contracta, dictamque præsentiam tanquam de forma præscribit, nullatenus se extendit ad casum nostrum, nec unquam intendit comprehendere illum; siquidem ratio, ob quam dictum concilium præstatum condidit, legem, fuit, ut evitarentur gravia peccata et scandala, quæ ex clandestinis matrimoniis plerumque oriri solebant, plurimis, postquam in matrimonio clandestine contracto aliquandiu vivebant et tedium vel aversionem ab uxore sua habebant, eam utpote matrimonium probare non valentem deserentibus, et cum alia publice contrahentibus, indeque in continuo adulterio viventibus; atqui hæc ratio nunquam locum habet in casu nostro, hoc ipso, quod illi, licet invalide, tamen publice contracto, in foro externo semper habeantur pro veris conjugibus, et non amplius permittantur alteri nubere, si, uti supponitur, impedimentum est occultum, et probari nequit; atqui si ratio et finis legis, quæ est anima legis per vulgaria, casum in genere nunquam tangit,

ad eum lex se non extendit, ut alibi amplius dictum, ergo.

612. *Probat. hoc ex declaratione Pii V, et formulis litterarum dispensationis.* — Probat. secundo efficaciter ex declaratione Pii V, de qua testatur Navar., qui, cum ipsemet sacræ poenitentiarie interfuerit, et alias vir omni exceptione major extiterit, in suis formalibus merito hic auditur: cit. cap. xxii, num. 70, ita scribit, « sed (quod valde notandum est) fel. record. Pius V, declaravit, non esse illos (parochum et testes) necessarios in contrahendo denuo matrimonio ab iis, qui illud publice cum denuntiatione sufficiente contraxerunt; sed propter aliquod impedimentum occultum est nullum; quo sublato, oportet, ut denuo contrahatur; quod fieri posse sine ulla parochi et testium præsentia, antequam ad urbem veniremus respondimus. Qua declaratione sacrum poenitentiarie prætorium frequenter utitur. » Sic ille.

Idem asserit *de Sponsalib.*, consil. 14, ibi: « Sed dubitatio magna orta fuit, an propter decretum concil. Trident. in hoc secundo consensu præstando necesse sit saltem adesse parochum cum duobus vel tribus testibus; et propter illa verba decreti: » et hujusmodi contractus irritos ac nullos decernit, « visum fuit, esse necessariam præsentiam parochi et testium: sed quia hoc in multis casibus non posset fieri sine periculo maximi scandali, et in concilio non videtur fuisse cogitatum de hujusmodi casibus occultis dictum fuit illustrissimo cardinali pro poenitentiarie, ut nomine totius signaturæ exponeret sanctissimo, videri æquissimum, ut per aliquam constitutionem declararetur, quando præcesserunt denuntiationes, vel alias servata est forma concilii, in hoc secundo sensu sufficere, ut secreto præstetur, sed ita ut conjux, qui ignorabat, in genere intelligat impedimentum dirimens matrimonium subesse, et necessarium esse, ut de novo mutuo consentiant, ut matrimonium valeat. »

613. *Confirmatur ex formula litterarum dispensationis super impedimentis occultis;* utpote ubi non tantum non injungitur nova præsentia parochi et testium, sed expresse præscribitur, ut putativi conjuges inter se de novo secrete ad vitanda scandala contrahant: dum, contra in dispensatione super impedimentis publicis semper expresse præcipiat, ut conjuges de novo in facie ecclesiæ

juxta formam concilii Trident. contrahant, manifesto argumento, quod concilium pro revalidatione matrimonii ob impedimentum occultum invalide contracti dictam praesentiam parochi et testium non requirat.

Atque haec in librum IV, dicta sufficiant, atque iudicio et correctioni sanctae matris Ecclesiae in omnibus humillime subiecta sint, sitque et maneat in omnibus ac per omnia,

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

ADNOTATIONES

IN TOMUM QUINTUM ANACLETI REIFFENSTUEL

ADNOTATIO I.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXI, de Regularibus et transeuntibus ad religionem; § I, n. 14; pag. 4.

VOTUM SOLEMNE QUID? ET DE VOTO SIMPLICI CASTITATIS IN SOCIETATE JESU.

« Pro intellectu decretalis *Quod votum*, tit. XX, *De voto et voti red.* in 6, cap. un. notare juvat quod, tempore Bonifacii VIII, ex cap. 6, *Rursus*, lib. IV, tit. VI, *Qui clerici vel vov.* votum solenne castitatis jam dirimebat matrimonium postea contractum, non sic votum simplex. Dubitatur tamen, ut notat hic Glossa, quandonam tale votum dici debeat solenne. Ad quam dubitationem removendam praemittit Pontifex quod ipsa voti solemnitas non inest voto per se, sed ex consuetudine Ecclesiae; postea veniens ad dubii solutionem, definit votum tunc solum dici solenne, quando solemnizatum fuerit per susceptionem ordinis sacri aut per professionem expressam vel tacitam factam in aliqua religione per Sedem apostolicam approbata. In aliis vero casibus censendum esse votum simplex, impediens quidem aliquando matrimonium contrahendum, contractum tamen non dirimens. Circa haec plura sunt animadvertenda:

« I. Nedom voti solemnitate, sed etiam ipsam obligationem emittendi votum a suscipiente ordines sacros, esse in Ecclesia latina, ex instituto ejusdem Ecclesiae antiquissimo.

« II. Etiam votum emissum in ordinatione privata esse solenne. Inquit enim Pontifex votum solemnizari per susceptionem ordinis sacri; quae susceptio intervenit, sive ordinatio publica sit sive privata.

« III. Cum dicitur solemnizari per professionem expressam vel tacitam in religione approbata, id intelligitur de professione ibi emissa cum omnibus requisitis ad ejus valorem, ut in praecedentibus sectionibus notatum est.

« IV. Denique, licet Pontifex hic dicat reliqua vota impedire quidem quandoque matrimonium contrahendum, non tamen rescindere jam contractum, excipienda nihilominus sunt vota castitatis, paupertatis et obedientiae, post biennium probationis emissa in Societate Jesu; haec enim quamvis simplicia sint, simplex tamen castitatis votum, quo se Jesuitae obstringunt, est impedimentum dirimens matrimonium postea contractum, vigore constit. Gregorii XIII, *Quando fructuosus*, 1582; et alterius *Ascendente Domino*, anno 1584. Circa quas tamen constitutiones Benedictus XIV, *De syn. diac.*, lib. XIII, cap. XI, n. 29, notat quod in privilegio, pro hujus instituti confirmatione emanatis, expressa inest declaratio quod vota praedicta votentem obstringant quosque idem in religione permaneat, eorum autem vinculo exsolvatur statim ac a superioribus e Societate dimissus fuerit. Quae verba significant quod si quis exeat ex libitu suo, et non dimissus a superioribus, emissum ab eo in eadem Societate castitatis votum pro ipso adhuc sit legitimum impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, propterea indigeat dispensatione, antequam illud contrahat. Non dirimit tamen matrimonium ratum praecedens, quia hujusmodi vota, etiam publice emissa, manent simplicia ex attestatione laudat: Gregorii apud Sanchez, Giribaldum et alios, nec constituunt personam immobiliter religiosam, alias postea dimitti non posset a superioribus, aut ab iisdem dimissus libere posset aliam ducere adhuc vivente prima, in eo statu, in quo eam reliquit, matrimonii quidem rati sed non consummati, unde ob frequentiam casus plura orirentur diceria et scandala. Concludendum igitur est ipsa non dirimere matrimonium ratum praecedens, ac ita se habere, quantum ad hoc, ut aliud quodcumque votum simplex.

« Hic addendum censeo quod, quando Pontifex, loquendo de aliis votis simplicibus, dixit ista quandoque impedire matrimonium contrahendum, ideo addidit particulam *quandoque* quia revera emitti potest aliquod votum simplex, quod tamen matrimonium non impediatur contrahendum. Sic qui